

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

quod non omnibus constiterit, adde quod domi desidenti ob valetudinem, raroque in publicum prodeunti pauca innotescunt. Verisimiliter tamen colligo, ut cum nostri propter Episcopi Basiliensis suspecta molimina, consilia cum tribus reliquis confederatis civitatibus necessariò communicent, quod Tigurinis authoribus literarum cohortatoriarum ad amplissimum Senatum vestrum propositarum sunt locis civitatibus, inquam consenserint nostri, non existimantes ita multum referre. Neq; enim sunt, cum apud nos tum alibi, qui licet in ipsis capitibus formulæ nihil desiderent, anathematismis tamen offendantur. Est autem hæc de re etiam, ubi inquisivi, altum silentium. Porro quis valetudinis tuæ in præsentia nunc status sit, familiarum item universarum, cupio cognoscere, & qui valeat inprimis D. Georgius gener, cui corpus salubre & longævitatem ex animo præcor. Commendo te, vir ornatissime, gratiæ DEI & me tuis precibus. Salutat D. Coccius amanter & reverenter. Salvos jubeo synagagas tuos, totumq; presbyterium. Basil. 5. Mart. A. 81.

T. ex animo

Simon Sulcerus.



XXXVII.

Reverende & clarissime Domine Compater.

Accepi literas tuas, 4. Junii datas, in quibus mentionem facis ante ad me scriptarum literarum, per senem, qui meas pertulerat, refers Muschleri ingratitude & sceleratas molitiones, mittis theses disputationis, tibi de bonis operibus propositarum & offers benevolentiarum tuarum studia. Cuperem sanè copiosè, de statu meo præsertim, rescribere, si per occupationes, & podagræ dolores, qui hoc die me invaserunt, liceret. Cum autem minus liceat, tantum hoc significare volui, quod has literas dicto die acceperim. De quibus autem mentionem facis, quasi per senem mearum latorem missis, illas non accepi. Nec enim senex ille hic interea fuit, quod ego quidem sciam. De Andrea Muschlero me rectè monuisti. Frater ejus, Joannes Muschlerus, uno aliquo puero comitatus, ante octiduum venerat, quàm tuas literas accepi. Uterque ornatus erat testimonio Magistrorum quorundam vestrorum. Accepitis tuis literis Johannem accersitum rogavi, an conscius esset fratris sui Andreae perfidiæ. Pernegavit, & se ipsum discessurum, ne allocutum quidem esse dixit. Comitum ejus seorsum examinavi, qui confessus est, rem se ita habere, ut literarum tuarum significarent. & Andream unà cum fratre Johanne & secum usq; ad Donaverdam pervenisse, inde digressum ad parentem. His auditis, objur-

M m m m

gavi

gavi Johannem, quod negasset veritatem, interrogatus. Hæret quidem adhuc apud reliquos alumnos, sed ita, ut expulsio sibi omni hora metuenda sit. De Andrea non sis sollicitus. Locum non inveniet, apud eos, qui & antea ejus pravum ingenium experti sunt. Gratulor Palatinatui de refflorescentibus cum pietate Musis. Utinam & ego isti disputationi interesse deberem. Scis quantopere istis studiis & exercitiis delecter. Pabulum senectutis meæ sunt. Sed eum interesse nequeam, gratulor tibi & gaudeo tecum. Ego hic nondum recepi concionandi potestatem; Lego in schola. Quid futurum sit ignoro. Simihi viventi stabilis hic locus erit, mirum erit. DEUS te ab omni malo custodiat. Intensio dolorum pedis non patitur, ut plura scribam. Pervelim scire, an D. D. Joachimus Struppis vobiscum esset. Salutat tuam cum suis mea cum suis. Vale. Dat. 25. Junii, 1581.

R. D. studiosiss.

Jeremias Homb.



XXXIIX.

Gratiam & pacem per Dominum nostrum J. Ch:

Opto tibi, Reverende & Clar. D. D.

TAndem mihi senex noster Ulmensis tuas literas, quas 15. Maji ad me exarasti, reddidit, 7. videlicet Julii, cum illis, quas Turnerus ad me scripsit, quibus adjunctæ fuerunt ad Dominos Præsides, &c. quas statim Ammonio exhibui, qui etiam accepit & voluit Dominis offerre Testimonium, quod inelyta Academia vestra Turnero perhibet. Sturmii blasphemias non vidi, scripsit ad me deisdem hisce diebus D. D. Chytraus. Miror illum senem canos suos ita conspurcare. Sed ex abundantia cordis os loquitur, & nequit arbor mala bonos fructus ferre, nunquam de spinis uvæ colligemus. Turneri negotium sedulo urfi & urgebo, quousq; aliqua mea erit autoritas. Ammonium oravi sedulo. Videntur mihi nimis cunctari Domini. Sed uno ictu non ruit quercus, crebris instabo bipennibus. Rescripsissem jam Turnero, si vacasset, proxime oblata occasione scribam. Rogo, ut jam ei meam bonam voluntatem & studium significes, ne mali quippiam suspicari incipiat. Nescio sanè, an hic diu habitare queam: Omnem movent lapidem Jesuitæ, ut me hinc prorsus exturbent, & quantum ex Ammonio intelligere potui, denuo illustrissimus princeps mihi gravissimè succenset, dicens, licet conciones ipse habere prohibear, tamen me reliquis suggerere tela contra papatum, in qua re mihi profecto fit injuria. Errores reprehendunt Dn. M. Freius & Stamblerus, me nihil suggerente. Et Freius nunc